

rentur; neque tamen intra hydriam nostram cupream rem  
tentare de novo licebat, quod foramen fundi justo jam am-  
plius factum infectum reddi, aut nova laminâ superadferru-  
minatâ ad pristinam angustiam reduci commodè non pos-  
set. Quamobrem obviæ primùm ollæ fundum terebrâ ocyüs  
perforamus, ut apertura pisi majoris moleculam vix admit-  
teret, orbiculoque dedolato minore in ollæ fundo super hanc  
aperturam posito manuque finistrâ detento, dextræ manus  
digo medio foramen extus occludentes aquam affundi cu-  
ramus illamque adimpleri; mox remotâ utraque manu, po-  
ste aquam ollam super tribus lapillis, tanquam super tripode,  
statuissemus, aquam ex foramine fundi profluentem, orbi-  
culum autem ollæ fundo adhærentem conspicimus, donec  
omnis aqua effluxisset. Idem verò cum orbiculo dedolato  
altero grandiore tentantes semel iterumque, spe rursus exci-  
debamus, causam equidem facile hariolati, posteaquam ollæ  
fundum proprius inspectum in medio altiore & circumcir-  
ca notabiliter depresso offendissemus; ita satis edocti, in  
proponendo hoc de orbiculis ligneis experimento, hanc cau-  
tionem vel in primis addendam esse, quod in situla non per-  
forata non requiratur exactior vel in orbiculi basi vel in vasis  
fundo planities, ad I. Phæn. sc. exhibendum; in cæteris verò  
perforatæ situlæ experimentis capiendis eò felicius omnia  
succedant, quo perfectior utroque fuerit planities. Id quod  
equidem amplius confirmavit novum ejusdem rei tenta-  
men in situla lignea pusillo itidem foramine pertusa, cuius  
fundo magis complanato major æquè ac minor orbiculus,  
præmissis præmittendis, adhærebat ad extremæ guttæ efflu-  
kum usque.

VIII. Notavimus autem inter hæc varia tentamina  
hoc etiam, quod hærens jam decenter orbiculus, ac hæsurus  
ulterius, eo momento, quo digitum foramiñi extus admo-  
ventes aquæ fluxum interceptissemus, fundum statim deserue-  
rit, ad summa, ut in I Phænom. enixus: quod idem fiebat in  
Dd 2 Phæn. XII.  
hydria